



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Dissertatio XVIII. De Militia Veterum Prussorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

DISSERTATIO XVIII.

De

Militia Veterum Prussorum.

- (1.) Septentrionales gentes sunt bellicosiores. Venedorum scuta. Æstiorum fustes à Gothis. (2.) Fenni dicuntur imbelles fuisse. Fustes eorum & pila lignea. Pacata gentes. (3.) Fennorum atrocitas, expeditiones bellicæ in Pannoniam & Italiam, in Mekelburgensem Ducatum. Heruli, Werli, Scyri. (4.) In Prussia sensim sibi parant arma. Ingenium Prussorum veterum callidum. Stratagemata. (5.) Prussi Masoviam infestant. Castella in Prussia sibi excitant. Eadem ipsis arma, quæ Germanis. (6.) Arma Prussorum, Fustes, Gladii, sagittæ, clypei, lanceæ. Propugnacula. Castella in montibus. Signa & vexilla. (7.) Duces exercituum. Delictus militum. (8.) In bellum ituri à sacris ordiuntur. Stratagemata. Capti occidebantur omnes. Moderatio Hercumonte Ducis Nattangtorum. Prussorum elogia. (9.) Sacrificium Diis post victoriam obtentam offerri solita. Manubiarum divisio. (10.) Cruciferorum militia. Gravis & levis armatura milites. Cataphracti milites, dextrarii operiti, cassides. Plata quid sit. (11.) Jaculationes ad metam, torneamenta. Congiaria militibus fortitudine claris data.

I.

Acturi de militia Veterum Prussorum, item quod in superioribus Dissertationibus observandum esse monuimus, & hic inculcandum esse putamus, non unam videlicet gentem olim Prussicas Provincias tenuisse. Hoc enim cognito, facile nobis persuadere poterimus, non eadem apud omnes gentes Prussicas bellica obtinuisse instituta. Quamquam hoc generatim asserat Vegetius, Septentrionales populos esse Australibus fortiores: Omnes, inquit, Nationes, quæ vicine sunt soli nimio calore siccatas, amplius quidem sapere, sed minus habere sanguinis dicunt: ac propterea constantiam ac fiduciam cominus non habere pugnandi, qui metuunt vulnera, qui se exiguum sanguinem habere noverint: Contra Septentrionales populi, remoti à solis ardori-

bus,



mus hæc arma Prullorum appellare plumbeas, a plumbo ipis

foli nimio calore siccata, amplius quidem sapere, sed minus habere

bus, inconsultiores quidem, sed tamen largo sanguine redundantes sunt ad bella promptissimi. Hæc Vegetius lib. 1. de re militari cap. 2. Si deinde descendamus ad gentes Prussicas, quæ primis temporibus Prussiam tenuere, pauca supersunt, quæ de ipsis ex antiquis Historiarum monumentis supersunt. De VENEDIS Tacitus nihil aliud, quod in rem nostram sit, scribit, quam quod *scuta gestent, & mira pedum pernitate gaudeant.* Apud ÆSTI-OS, qui iidem ac Gothi, *rarum ferri, frequentem vero fuisse fustium usum,* idem Tacitus refert. in lib. de morib. Germ. cap. 45. Nec mireris Gothis bellicosissimæ genti fustes tribui, cum & in ipsa Scandinavia, ex qua Gothi progressi vulgò feruntur, Gothos non nisi fustibus olim pro armis usos esse Joannes Loccenius lib. 3. *Antiquit. Sueo-Goth. cap. 2.* ex Verelio & Olao Petri probet. Alia, quæ de militia Gothorum dici possunt, uberrimè persequuntur Jornandes, Procopius, Joannes & Olaus Magni; imprimis verò Joannes Loccenius lib. 3. *Antiquitatum Sueo-Gothicarum per tot. Conf. & Joannes Schæfferus in Upsalia antiqua.*

II. Sed ad illos veniamus Prussos, qui antiquissimis temporibus longius à mari recedebant, procedentibus verò temporibus alias gentes crebris expeditionibus ex Prussia susceptis exhaustas facile suos in mores traxerunt. Illi varias, ut in cætera vita, sic in bellicis institutis vicissitudines experti sunt. Tempore Taciti, FENNIS sive PHINNIS, à quibus Prussi ab Ordine Teutonico domiti suam trahunt originem, *non arma, non equi, non penates erant. Sola in sagittis spes, quas inopiâ ferri assibus asperabant,* ut auctor est laudatus Historicus lib. cit. in calce. Eadem de Prussis Veteribus, Fennorum posteris, tradunt Hennebergerus & Waisselius. Dicunt enim illi Prussos fuisse hominum rudissimos, & ad bella gerenda minùs idoneos. Idcirco contra hostes fustibus tantùm oblongis plumbo infuso rigentibus usos esse, fustes insuper alios habuisse breviores plumbo graves, quibus eminus hostem peterent. Vid. Henneberg. in lib. de Vet. Pruss. fol. 20. Tb. Waissel. in princip. Chronic. ubi etiam hanc, quam Tibi hîc L. B. damus, Prussici militis effigiem reperies. Possemus hæc arma Prussorum appellare plumbatas, à plumbo ipsis infuso, licet non nesciamus, plumbatas olim fuisse genus sagittarum, de quibus Vegetius lib. 1. de re milit. cap. 17, & lib. 4. cap. 29. Vid.

Vid. ibidem Godofchalchus Stevechius. Sufficiebant autem antiquitus, videlicet ante & post tempora Taciti, Prussis dicta arma, cum contra hostes ipsis paupertas tutum satis fuerit praesidium. Quia imò ea ipsa rerum omnium egestas, quæ aliis causa servitutis esse solet, cum imbelles arma potentiorum facile contra se attrahant, Prussis non libertatis tantum conservandæ, sed & imperii proferendi præbuit occasionem. Primum enim Venedi, Gothi, aliique populi Finnicos illos Prussos suis rebus acquiescentes, neque aliorum opibus inhiantes facile tolerabant. Postea quoque cum dicti illi Venedi, Gothi aliique bellicosiores Prussiarum populi potentiâ suâ freti, fertilius quæsituri solum, Prussiam maximâ ex parte reliquissent vacuam, Finni tandem illi, meridionales Prussiarum partes antea inhabitantes, in partes progressi Septentrionales, occupatis priorum populorum sedibus, Prussiam occuparunt omnem. Vixerunt autem & tum nemini finitimorum nimium molesti. Disertè Jornandes: *Ad litus autem Oceani, ubi tribus faucibus fluenta Vistula fluminis ebibuntur, Vidioarii resident ex dictis nationibus aggregati; post quos ripam Oceani ITEMESTI (alii legunt ESTII five ÆSTI) tenent patatum genus omnino.* Hæc Jornandes Sec. VI. *Scriptor in lib. de Rebus Geticis cap. 5. pag. 65. seq.* Quamvis autem veteres incolas, vel potius eorum reliquias, ibidem repererint, pacem tamen inter se coluerunt perpetuam, donec sensim omnes Prussiarum populi in unum concederent nomen. Et hæc est causa, cur Sec. XIII. Cruciferi in Prussia non nisi unam, religionem, moribus, linguâ denique convenientem repererint gentem.

III. Nec tamen omnium Prussorum, quibus origo Finnica, is erat animus, ut rebus suis contenti aliena non circumspicerent. Olim enim Fennos latrocinia exercuisse, dudum Tacitum audivimus asserentem. Sed & post Taciti ætatem fuerunt in Prussia generosioris animi non pauci, qui ne penitus ignavia dediti viderentur, cum omnes ferè Septentrionales gentes sese australibus terris infunderent, & ipsi ex Prussia egressi expeditiones varias susceperunt. In illis enim expeditionibus, quas Gothi, Vandali, alii versus Italiam, Galliam & Italiam susceperunt, & Finnici hi Prussi, qui & Heruli tunc dicebantur, adjunctis sibi Scyris, quos Plinius in Prussia collocat, & Rugiis Pomeranis populis

pulis primùm in Pannoniam concessere, indè verò Duce Odoacro An. 475. Italiam intrantes ipsam urbem Romam occupaverunt. Procop. *de Bello Goth. lib. 1. Blondus Dec. 1. lib. 2.* Alias Herulorum res gestas strictim persequitur Albert. Wijuk Kojalowicz *Part. 1. Hist. Lithv. lib. 1. in fin.* Deindè in confiniis Sec. VI. & VII. cum Slavi ex Oriente progressi Germanicas oras, (ubi hodie Polonia, Pomerania, Lusatia, Silesia, Marchia Brandenburgica, Mekelburgicus Ducatus & Holfatia) infedissent, & ex Prussia Herulorum pars egressa in Mekelburgensi Ducatu confedit, retinuitque Linguam Prusicam veterem, ut suo loco probatum est. Illi Heruli dicuntur in Mekelburgico Ducatu Werli. Vid. Wölfgangus Lazius *de migrationib. gentium.* & Dissertatio nostra *de Lingua Prussorum.*

IV. Sed & illi Prussi, qui in Prussia remanserant, sensim bellicis asveverunt. Auxit enim apud eos bellicum apparatus necessitas. Quippè cum à Polonis sibi vicinis non rarò infestis peterentur armis, arma quoque Polonis aliisque gentibus repellendis idonea sibi parare cœperunt. Quanquam enim & tum temporis promiscuum vulgus contentum esset fustibus illis plumbo gravibus, quos superiore numero descripsimus; politiores tamen & potentiores dubio procul sibi gladios, hastas ferro præfixo acutas, sagittas, aliaque arma, de quibus infra sumus accuri, parabant. Accedebat his ingenium Prussorum callidum, dolisque bellicis sive stratagematibus comminiscendis aptissimum, quo nonnunquam hostem circumventum cecidere. Audiamus Vincentium Kadlubkonem de populis Sec. XII. Prussiam habitantibus loquentem: *Intrepidi, inquit, bellum quarunt* (de Polonis hæc dicit) *diu questum nusquam reperiunt; cunctis hostium* (i. e. Prussis) *in delubris ac speluncis delitescuntibus, non tam timoris pusillanimitate, quàm cautela industriâ. Sicut enim in arte exercitatissimi, sed in plano nulli, plus arte, quàm viribus, plus audaces temeritate, quàm animi virtute.* Hæc Kadlubko *lib. 4. Chron. Polon. cap. 19. Conf. lib. 3. epist. 31. pag. 375.* In his verbis citatus Historicus Prussos non ut timidos latebras quæsisse testatur, sed ut cautos, artibusque bellicis deditos. Neque desunt exempla, quibus ea, quæ de callido ipsorum ingenio dicta sunt, comprobari possunt. Memorabilis est ad posteritatem victoria, quam Prussi de Boleslao IV. Duce Poloniae


medio XII. Seculo reportarunt. Erant videlicet apud Boleslaum in castris Pruteni quatuor non ignobiles, qui sic jam fidem Boleslao Duci probaverant, ut iis Ducibus in expeditione dictâ uteretur. Hos Pruteni clam magnis donis majoribusque promissis per certos homines, qui & ipsi transfugas se simulaverant, ad prodicionem pellexerunt. Tempus & ratio prodicionis constituitur. Pervenerant Poloni ad sylvestria quædam, palustria & uliginosa, loca, quæ in speciem herbida limosos abscessus & voragines occultabant. Circum hæc latitabant Prussorum exercitus. Ibi transfugæ magnum numerum pecoris ad ea loca compulsum esse, magnamque hominum multitudinem cum facultatibus suis se recepisse affirmant, persuadentque Principi, ne prædam illam contemnat. Ubi primum agmen, quod Henricus Sendomiriensis Dux Boleslai frater ducebat, ægrè aliquantum progressum esset, dictitantibus transfugis perbreve eam esse difficultatem: ibi signo dato Pruteni pedites, undique è latebris profiliunt, & sagittas omnisque generis tela eminus in impeditos conjiciunt. Multi ibi mortales cæsi, longè plures voraginibus absumpti sunt. Vid. Vincent. Kadlubko *lib. 3. Chron. epist. 31. pag. 374. seqq.* Salomon Neugebauer. *lib. 3. Hist. Polon. pag. 107. seq.*

V. Sec. XII. Prussi animosiores facti, non jam se tantum, contra finitimorum injurias strenuè defendere, sed etiam omnem latè Masoviam ferro & igni vastare, adeò ut ipsis Masovii vestes preciosiores equosque tributi nomine dare sint adacti. Vid. Dusbürg. *part. 3. Chron. cap. 3.* Et ne Masovii viribus aliquando resumptis vicem Prussis rependerent, loca castellis idonea sensim, communire, arma ab exteris gentibus sibi parare, juventutem denique in bellicis artibus exercere. Quo factum est, ut Ordo Teutonicus sub initium Sec. XIII. contra Prussos à Duce Masoviz Conrado evocatus vix quinquaginta trium annorum spacio eos potuerit sub suam redigere potestatem. Idcirco Petrus de Dusbürg Prussos describit, non ut imbellem populum, sed eorum fortitudinem mirum quantum extollit, adeò ut etiam miretur, quod Cruciferi tam brevi tempore (intra 53. annos) eos potuerint perdomare. *part. 3. Chron. cap. 3.* Illis igitur prorsus non assentio, qui ex antiquissimis gentis hujus moribus, de illorum quoque temporum, quibus Cruciferi huc concesserant, militiâ judicantes, Prussis omnem

Ad Disert. XVIII. num. VI.



docet nos Tacitus lib. 1. Hist. cap. 70. quando dicit. Sarmatas gla-



omnem

omnem armorum denegant usum. Neque quidquam contra nos obtinere possunt, qui Petrum de Dusburg sibi contra nos in patrocinium vocant. Refert ille Prussum quendam balistam à Germano relictam sustulisse, cumque eam tractare nesciret, glande elisâ occisum esse. *part. 3. Chron. cap. 100.* Sed quid inde probabitur? Fac enim Prussum hunc aliosque commilitones ipsius rudiores, balistam, ut Dusburgensis vocat, sive arcum tractare non potuisse, ergo hoc ipsum etiam de Prussis omnibus erit asserendum? Deinde nesciverint etiam Prussi omnes hoc armorum genus, num propterea & aliorum armorum usus ipsis erit denegandus? Quod si Dusburgensem, optimum verborum suorum interpretem consulamus, tantum abest, ut eos inermes in pugnam processisse dicat, ut iis etiam eadem arma, quæ Germanis attribuat. Siquidem cum Sambitæ Cruciferorum Balgensium mores exploraturi quendam Balgam misissent, isque omnia Fratrum instituta probè perspexisset, reversus ad suos, interrogatusque quid peculiare ibidem observasset, respondit: *Scitote, quod Fratres sunt homines sicut & nos, habent laxos & molles ventres, sicut & nos videtis habere, in ARMIS, cibis & aliis satis conveniunt nobiscum, sed in hoc differunt &c.* Vid. Dusburg. *part. 3. cap. 69.*

VI. Quò autem specialius nobis innotescat, quæ fuerint apud Veteres Prussos armorum genera in usu, & quomodo illi hostium impetum sustinuerint, hostesque ipsi oppugnarint, paulò uberius de illis nobis erit agendum. Et primum quidem de armis gregariorum militum haut difficulter concedimus, & Cruciferorum temporibus fuisse CLAVAS ejusmodi, prout eas supra descripsimus in usu, licet apud Dusburgensem de illis vestigium appareat nullum. Retinuerunt etiam fortasse fustes illos breviores, quibus hostes eminus peterent. Simile armatorum genus etiam Gothis fuisse in usu comperimus. De illis enim Sidonius Apollinaris *lib. 4. epist. 20.* sic scribit: *Lanceis uncatis, securibusque missilibus dextra referta.* Sed & GLADIOS habuisse Prussos ex eo colligo, quod non rarò à Polonis & Cruciferis prælio superatis arma dicuntur accepisse. Vid. Dusburg. *part. 3. Chron. cap. 81.* Erant autem Polonorum gladii, ut & hodie, leviter curvati, quos etiam apud Gothos in usu fuisse, probat Joannes Loccenius *lib. 3. Antiq. Sveo-Goth. cap. 2.* Quales autem olim Sarmatarum fuerint gladii docet nos Tacitus *lib. 1. Hist. cap. 79.* quando dicit, Sarmatas gladios

dios prælongos utraque manu regere consueviffe. SAGITTAS quoque Pruffis veteribus tribuit non tantum Kadlubko & Neugebauerus loco num. IV. citato, fed etiam Cæfp. Schuz. *lib. 1. Chron. fol. 3. b.* CLYPEOS infuper & LANCEAS Pruffis tribuit Petrus de Dusburg. *part. 3. Chron. cap. 54. & cap. 65. med. cap. 165.* Plura armorum genera in Petro de Dusburg obfervare me non memini; fapè tamen Scriptor ille Pruffos Cruciferis armatos occurriffe refert, *ut part. 3. cap. 67. & cap. 69.* Inter machinas, quibus in obfidentis & oppugnandis urbibus & caftellis utebantur Pruffi, fuerunt PROPUGNACULA, ut ea vocat Dusburgenfis. Fuerunt autem propugnacula illa caftella quædam extemporalia five lignea, five etiam terrâ aggeffâ fubitò excitata, quibus milites imponebantur, ut ex iis annonam in obfeffam urbem importare volentes prohiberent, ut ex *parte 3. Dusburg. cap. 90.* non obfcure colligitur. *Conf. & cap. 115.* Aliàs quæ de Blydis five machinis notavimus, peti poffunt ex Animadverfionibus noftris ad Dusburg. *part. 3. cap. 38. & 114.* Ipsi autem Pruffi per totam provinciam habitantes, ne injuriis hoftium, nempe Cruciferorum & Mafoviorum, paterent, caftella quoque more Germanorum excitabant. Talia castra Prutenorum fuere Rogow, item castrum Pipini, de quibus Dusburg. *part. 3. cap. 7. Conf. & cap. 14.* Multa verò id genus castra fuiffe in Pruffia testatur idem Dusburg. *part. 3. c. 3.* Solebant autem non rarò caftella fua in montibus excitare, id quod etiam fubfequente tempore & Cruciferi, more tunc per Europam recepto facere solebant. Quapropter tot arces & urbes in montibus exstructas hodieque reperias, ut funt Culma, Grudentum &c. Multarum quoque arcium rudera in excelsis montibus hodieque multis in locis confpicias. Præter arma erant Pruffis veteribus etiam SIGNA & VEXILLA, quibus non folum in pugnis aperto Marte committendis, fed etiam in urbibus fuis defendendis utebantur. Solebant enim figna ejusmodi munimentis caftellorum, quæ defendebant, infigere, ut ab hoftibus confpicerentur. In diètris infignibus, fi fides eft Historicis junioribus, erant depictæ duæ coronæ fibi invicem oppofitæ. Vid. Waiffel. *in Chron. Pruff. in Conrado Landgr. Haff. Mag. Ord. Teut.* Vexillum Regis Waidevuti quale fuerit, defcribit nobis Simon Grunovius *Tract. 2. cap. 5. & ex eo Henneberg. de V. P. fol. 23. b.* Videlicet dicunt fuiffe linteum

quin

quinque ulnas longum & tres ulnas latum, cui tres Deorum Prussicorum imagines mediâ sui parte erant intextæ. Harum prima, erat Potrimpi, secunda Percuni, & tertia Patolli. Regis insignia, puta imaginem hominis ad umbilicum depicti, cui caput urfi apertum, duo equi tenebant. Habuerunt autem insignia dicta, ut & vexillum, inscriptionem certam certis characteribus notatam. Sed hæc, ut quæ nullius antiqui Scriptoris fide nituntur, tutò contemnas.

VII. Contra hostem Prussi signa moturi, ante omnia sibi Duces exercituum eligebant, quorum & fides & virtus spectata fuit omnibus. Ex eo censu fuere Pyopso Varmiensem, Scumandus Sudinorum, Divanus Barlensium, Hercusmonte Nantangiorum Duces, & alii, de quibus passim Dusburgensis. Conf. & Schuz fol. 20. med. Ipse miles gregarius in exercitu Prutenorum non emebatur, sed legebatur prisco more, ut in expedito semper esset. Tunc enim cum major esset in Religione Lariisque defendendis fervor, tantis non opus erat coactionibus, quantas hodie omnibus propemodum in Regnis obtinere videmus. Quilibet Deorum suorumque amore ad arma signo dato concurrebat, hostemque, ut poterat, à finibus patriæ suæ submovebat. Non tamen existimandum est, tumultuarium tantum & fortuitum planè, præsertim Cruciferorum temporibus Prussorum fuisse exercitum. Cultioribus enim tunc Prussis, delectus quoque haberi cœpit, æstimatus atate bello idoneâ & corporis animique habitu, ut de suis quoque Gothis confirmat Joannes Loccenius lib. 3. cap. 1. Maximam autem curam eorum delectuum habuisse Prussos olim, inde colligi potest, quod accuratè sciverint, quantum ex provinciis singulis excire contra hostem potuerint exercitum. Robur militiæ Prutenicæ in pedite constituisse videtur, quamobrem etiam pedites eorum secundum excellentiam vocantur à Dusburgensi pugnatores. *Vid. quæ supra ea de re dicta sunt in animadversionibus ad Dusburg. Part. 3. cap. 3.* Quantum autem ex singulis Provinciis excire potuerint militum numerum, non tantum ex capite modò citato Dusburgii, sed etiam ex *Part. 3. cap. 70.* colligere licet. Refert enim postremo illo loco Historicus, Regem Bohemiæ Ottocarum Sambiam ingressum, ostensâ parte exercitus sui ex quodam

Prusso Sambienſi quaſiſſe, num putaret hunc exercitum Sambienſibus domandis ſufficere: Pruſſum autem id negaſſe: Deinde Regem producto duplo majore exercitu idem reſponſi à Pruſſo illo reportaſſe: Sed & triplo majoribus copiis tertium, oſtenſis, Sambienſem Pruſſum conſtanter idem regeſſiſſe, donec tandem totus Regis exercitus in campos circumjacentes eductus homini conſeſſionem extorſit, ut fateretur, totum exercitum Regis Ottocari ad Sambienſes domandos fore ſufficientem. Quodſi ergo ſolis Sambitis tantæ fuerunt vires, ut ſe Regis Bohemiæ numeroſis copiis opponere non dubitarent, quid non præſtitiffent Pruſſi, ſi ſœdere inito communibus viribus ſtatim in principio Cruciferis ſe oppoſuiſſent.

VIII. Ante autem quàm Pruſſi contra hoſtem egrederentur, ſolebant variis ritibus per Waidelottas ſive Sacerdotes ſuos exitum belli ſuſcepti prætentare, Deorumque ſuorum voluntatem explorare. *Rarò enim Pruſſi factum aliquod notabile inchoabant, niſi prius miſſâ ſorte ſecundùm ritum ipſorum à Diis ſuis, utrum bene vel malè debeat ſuccedere, ſciſcitarentur,* ait Duſburg. *Part. 3. Chron. cap. 5.* Speciatim verò in bellum ituri hominem ex hoſtium exercitu capiebant, cujus pectus Crive Pontifex captandi ex profluente ſanguine ominis cauſa, ſecefpiatâ diſſecabat. Si enim, ſanguis torrentis inſtar è veſtigio erumpebat, proſperum inde belli eventum Pruſſi augurabantur: Sin guttatim tantùm deſtillabat, adverſum hoc ſibi omen interpretabantur. Henneberg. *de V. P. fol. 20.* ex Grunov. *Tract. 2. cap. 5.* Conferantur ea, quæ nos ad citatum Duſburgii locum annotavimus. His peractis illud agebant, ut hoſtilem exercitum ſtratagemate quodam circumvenirent, ut num. IV. ſupra dictum eſt. Addatur Duſburg. *Part. 3. Chron. cap. 93. 109. 142. 162. 181.* Si aperto erat pugnandum Marte, non primum tantùm hoſtium impetum ſuſtinebant, ſed non rarò tantâ virtute hoſtiles exercitus cædebant, ut clariffimas ab iis reportarent victorias. Moderationem aliquam Pruſſos in victoriis ab Ordine Teutonico reportatis adhibuiſſe vix legas. Neque hoc mirum. Cruciferos enim libertati Pruſſicæ inſidiari, avitos ritus Deorumque cultum abrogare, totamq; adeò Pruſſiam ſibi ſubiicere videbant. Idcirco captos in prælio Germanos trucidabant crudeliter omnes, ut auctor eſt Henneberg.

loc.

loc. cit. fol. 21. Quid quod etiam Pacta cum Germanis obsessis & certâ conditione sese deditibus inita aliquando violabant. Exemplum ejus perfidiæ habemus in oppugnatione Liefardi apud Dusburg. *Part. 3. cap. 165.* Singulare tamen moderationis exemplum edidit Hercusmonte Dux Nattangiorum post victoriam contra Cruciferos obtentam, de qua Dusburg. *Part. 3. cap. 86.* Neque alia, credo, defuerunt moderationis Prussorum veterum in bello exempla, quæ tamen invidiâ quâdam hostium suppressa sunt. Equidem exteri Scriptorum ante Cruciferorum tempora, qui causas odii procul habuerunt, humanitatem Prussorum satis deprædicant, ut aliâs demonstravimus. Non est igitur, quod Joannes Dubravius *lib. 6. Hist. Bohem.* eos ipsis Brutis magis brutos vocet. Minus adhuc causæ habuit Vincentius Kadlubko Scriptor Polonicus, cum contra Prussos hæc scriberet: *Sunt autem Pollexiani Getarum seu Prussorum genus, gens atrocissimâ omnium ferarum immanitate truculentior.* *lib. 4. Chron. Polon. cap. 19. pag. 510.* Etenim, egerint illi flagitiosè, quod S. Adalbertum occiderint, quam causam prætendit Dubravius: Fuerint etiam Polonis, ut hostibus tunc suis, insensissimi, nondum tamen hæc meruerunt elogia. Fecerunt quippe id ipsum aliæ quoque politiores gentes amore avitæ religionis libertatisque suæ, quæ tamen famæ suæ propterea non fecerunt jacturam. Rectius Adamus Bremensis ea de re judicat, qui ita Prussos laudat, ut tamen hoc, quod in iis detestandum, non fileat. *Multa, inquit ille, possent ex illis populis dici laudabilia in moribus, si solam fidem Christi haberent, cujus Prædicatores immaniter persequuntur.* in *lib. de Situ Dan. Conf. & Helmoldus lib. 1. Chron. Slav. cap. 1.*

IX. Cæterum ne adversus Deos suos victoriâ obtentâ viderentur ingrati, variis modis gratam mentem suam erga ipsos declarare solebant. Et quidem primùm Ducem hostium captum, aut si etiam plures summæ dignationis viri captivos inter numerarent, unum aliquem ex iis forte deligebant, quem equo impositum armisque consuetis, quibus contra Prussos usus fuerat, indutum in Deorum honorem comburerent. Ritus hîc observari solitos explicavimus in *Animadvers. ad Part. 3. Dusburg. cap. 333.* ubi de Gerharo Rude Advocato Sambienfi agitur. *Conf. & cap. 86.* Deindè sacrificio hoc Diis oblato prædam

dã dividebant in quatuor partes, ut vult Hennebergerus. Harum prima Diis; secunda Pontifici Criwe dicto aliisque Waidelottis sive Sacerdotibus; tertia amicis, vicinis, fœderatis; quarta autem victoribus cedebat. Vid. Henneb. *de V. P. fol. 21. ex Grunov. Tract. 2. cap. 5.* Rectius autem hanc rem exponit Dusbürgensis, qui fœderatis amicisque omisiss, in tres tantum partes prædam fuisse divisam refert. *Part. 3. Chron. cap. 5.* Vide, quæ etiam nos ad dictum locum in Animadversionibus nostris, & supra in Dissert. de Cultu Deorum num II. annotavimus.

X. Venimus ultimo loco ad Cruciferorum militiam, de qua tamen non nisi pauca nobis dicenda erunt, cum illi ut Germani, Germanorum arma moremque belli gerendi Germanis usitatum huc invexerint. Illud verò primo loco commemorandum erit, habuisse Cruciferos, gravis & levis armaturæ milites. Deduci hæc possunt ex Privilegio Culmensi num. XXXI. seq. ubi hæc habentur: *Statuimus, ut quicumque XL. mansos vel amplius à Domo nostra emerit, is cum plenis armis & dextrario operto & armis talibus competente & aliis duabus ad minus equitet. Qui verò pauciores mansos habuerit, cum Plata & aliis levioribus armis & uno equo ad arma talia competente debet cum Fratribus nostris pergere.* Milites gravis armaturæ cataphræcti erant, quorum magnus hic erat numerus. Testantur adhuc illud ipsum Privilegia multorum in Prussia Ducali, quæ ejusmodi arma imperant; item Urbes majores, in quibus talia arma non pauca asservantur, Cataphractorum militum equi fuerunt etiam aut toti armati, aut caput eorum saltem & pectus fuit tectum, quod ipsum satis apertè per DEXTRARIOS (i. e. equos bellicos) OPERTOS intelligitur. Vidi ego apud amicum cassidem antiquam terrâ erutam, quæ non eum in modum, ut nunc solent, erat fabricata, sed ex laminis orichalceis in modum spirarum, contortis & in orbem inflexis ita, ut in suprema parte coirent, erat confecta. Ejus generis cassidibus cataphræctos Cruciferorum equites usos esse, vero non est absimile. Levioris armaturæ militibus tribuitur in verbis ex Privilegio Culmensi citatis Plata, Plata autem est lorica, qua pectus tantum munitur, quapropter etiam illi qui loricas conficiunt vocantur *Platner* sive *Platner*

ten

tenschläger. Reliqua Cruciferorum arma fuerunt, gladius, lancea, sagittæ, de quibus passim agit Dusburgensis.

XI. Ut autem juvenus Prussica sese semper in armis exerceret, variis eam præmiis ad hoc ipsum alliciebant Cruciferi. Primò enim Winricus de Kniprode Magister Ordinis generalis inter alias salutare & hanc instituisse fertur, ut circa Feras Pentecostales Cives in urbibus ad avem, pro metâ erectam aliumve scopum sibi præfixum jacularentur: teste Thoma Waisselio pag. 123. seq. Observatur hoc etiamnum strictè Regiomonti, aliisque Prussiarum Ducalis urbibus. Hic Thorunii singulis hebdomadis dies Lunæ est huic rei destinatus, ut Cives juniores jaculando ad metam sese exerceant. Singulis autem annis, circa S. Margaretae, solenniter Cives omnes hoc ipsum faciunt. Deinde constitutum etiam olim fuerat, ut in urbibus majoribus ante Quadragesimam cives cataphracti, lanceis instructi congregarentur & inter se certarent, quæ consuetudo tamen in plerisque urbibus jam est sublata. Sola Brunsberga adhuc moris antiqui est tenax, ubi torneamenta illa, ut posterioribus seculis dici ceperunt, singulis annis dicto tempore instituuntur. Fuerunt, denique non exigua præmia illis constituta, qui fortiter in bello contra hostem se gesserant. Ut enim alia omnia præteream, epulum tantum illud celeberrimum à Conrado Wallenrodio Magistro generali institutum commemorabo, utpote quod illustre nobis remuneratæ virtutis documentum exhibet. Instruxit dictus Magister epulum in Annalibus Prussicis celebratissimum. Adhibiti mensæ Duces omnes ac præcipui equitum eo ordine, quem cuique eximæ virtutis dignitas fecisset. Caput mensæ cessit Equiti Austrio Kinodiut, quod solus sexaginta Turcas se insequentes occidisset. Proximus ei accubuit Fridericus Marchio à Misnia ob prærogativam familiæ, ex qua nemo unquam ordinem deseruit. Tertius Comes Hildermirdus natione Scotus, quod eo parente natus esset, qui ut Regem servaret, se ipsum neci objecit. Tum Comes Rupertus ob imperium Romanum, ad quod vocabatur, spretum. Conradus deinde ipse convivii illius structor, ob sponsam ætate ac formâ florentissimam gratiâ ordinis Teuthonici desertam. Vestphaliæ signifer Degenhardus, quod adversariis, qui parentem suum

occiderant, veniam indulgisset. Fridericus Eques, quod nihil unquam negasset ei, qui interposito D. Gregorii nomine aliquid postulasset. Denique reliqui, pro merito quisque. Utensilia omnia erant argentea atque aurea mensæ illata, deinde convivis cedebant. Hoc veluti congiario militari, animatis Ductoribus Conradus recta movit contra Vitoldum. Albert. Wijk Kojalowicz *Part. 2. Hist. Litv. lib. 2. ad An. 1394. pag. 38. seq.* Simon Grunovius *Tract. 13. cap. 16.* Thom. Waïssel. in *Wallenrodio fol. 127. seq.*

DISSERTATIO XIX.

De

Republica Veterum Prussorum.

- (1.) *Venedæ fuerunt Scythæ. Scythorum Respubl. Sarmatæ. Venedi an sint Germani. Slavorum, Lutitiorum, Polonorum Respubl.* (2.) *Gothorum & Æstiorum Respubl.* (3.) *Prussorum, quos Ordo Teut. domuit Respubl. Fennorum mores iidem qui Prussorum.* (4.) *Constitutio Reipubl. Prussicæ per Waidevutum.* (5.) *Refutantur fabule de Waidevuto & Pruteno.* (6.) *Principes, Nobiles & Plebei olim in Prussia. Reges Prussorum sunt Nobiles.* (7.) *Magister Ordinis Teutonici. Ejus titulus, Insignia, sigillum, Sedes, alia.* (8.) *Magistri Provinciales, antiquissimis temporibus dicebantur Commendatores, Præceptores, Provisores.* (9.) *Vicesgerentes Magistri generalis, quando eligi mos fuerit.* (10.) *Electio Magistri generalis.* (11.) *Episcopi Prussici.* (12.) *Præceptores Majores, Commendator Magnus, Marschalcus, Hospitalarius Supremus, Trapiarius, Quæstor. Eorum munia.* (13.) *Commendatores varii generis. Commendator Provinciæ Culmensis. Commendatores alii. Commendatores arcium. Advocati Provinciarum. Socii Magistri. Socii Commendatorum.* (14.) *Fratres Ord. Teut. privati. Conventus Ordinis Teutonici.* (15.) *Instituta Fratrum Ordinis Teutonici. Regula, Vestes, Genus, Natio, ætas, tituli.* (16.) *Ordo Teutonicus dependebat ab Imperatore & Pontifice Romanis.* (17.)
Quæ